AMPLISSIMIS AC CONSULTISSIMIS VIRIS,

de *Re* Civitatis tum *Publicâ*, tum *Literariâ* præclare meritis;

Cl^mo^. D. *ANDREÆ RAMISÆO*, ab *Abbots-hall*, Equiti aurato, Civitatis *Edinburgi* Consuli Ornatissimo:

D.D. *IOANNI BODIO*, *FRANCISCO KINNALOCHIO*, *IOANNI PENMANNO*, *GUALTERO BORTHVICO*, Prætoribus Æquissimis:

ROBERTO SANDILANDIO, Ædili vigilantissimo; IOANNI SCOTO, Quæstori fidelissimo;

Cæterisque Inclytæ Civitatis Senatoribus prudentissimis, Academiæ *JACOBI* REGIS *Edinburgenæ* Patronis dignissimis, Æternùm honorandis:

Theses has Philosophicas (Quadriennalis Sementis Spicilegia quædam) pro quibus in solenni Diatribâ, in Æde sacrâ *Hyesterensi*, die 18. *Julii* 1664. (sub Præsidio *JACOBI PILANI*) ΣΥΝ ΘΕΩ pro virili stabimus, D. D. CQ.

Adamus Pavonius.
Alexander Pennicocus.
Andreas Heriotus.
Archibaldus Gladstonus.
Carolus Wardlaus.
Gabriel Semplius.
Gaspar Kellius.
Georgius Brunus.
Georgius Landerus.
Georgius Sinclarus.
Guilielmus Duglassius.
Guilielmus Papla.
Guilielmus Russellus.
Guilielmus Watsonus.
Guilielmus Volusenus.
Henricus Knoxius.
Henricus Pringallus.
Hugo Linus.
Jacobus Adamsonus.
Jacobus Andersonus.
Jacobus Condæus.
Jacobus Dovæus.
Jacobus Forresterus.
Jacobus Inglisius.
Jacobus Kirkvodus.
Jacobus Reidus.
Jacobus Sinclarus.
Jacobus Vetchius.
Ioannes Campbellus.
Ioannes Chisholmus.
Ioannes Forrestus.
Ioannes Graïus.
Ioannes Haliburtonus.
Ioannes Carus.
Ioannes Landerus.
Ioannes Lithgovus.
Ioannes Millarus.
Josephus Valentius.
Laurentius Forrestus.
Michael Robus.
Patricius Humius.
Patricius Jonstonus.
Robertus Ardus.
Robertus Boogus.
Robertus Cunigamius.
Robertus Eliotus.
Robertus Locartus.
Robertus Russellus.
Thomas Haliburtonus.
Thomas Skenus.

THESES LOGICÆ.

COgnitio Operativa, & tota, & primariò ac proximè ad operationem dirigitur: Contemplativa, non nisi secundariò & remotè, ad eam referri potest. 2. Hæc itaque licet Effectioni aliquid conferat, eam tamen nunquam habet pro Objecto.

II. Habitus omnis Intellectualis, qui Operativus est, Objectum & cognoscit, & jam cognitum producit. 2. Non ergo distinctos Habitus, sed eundem constituent Logica *Docens* & *Utens*. 3. At Logica Systematica, diversos: *Docens* scilicet, Artem; *Utens* verò transit in nomen & naturam illius Disciplinæ, cui applicatur, sive ea Ars sit, sive Scientia, sive Philosophia Moralis. 4. Atque hinc conciliatur sibi *Aristoteles*, cap. 11. lib. 1. Top. non tam Definitionem Problematis Dialectici, quam Divisionem ejus afferens trimembrem, cujus tertium membrum videatur ipsi Diviso adæquatum.

III. Logicæ munus est, mentem dirigere in omnibus suis Operationibus, quibus vitium inesse potest. 2. Plenius ergo, distinctius, & clarius loquuntur, qui sicut Objectum ejus adæquatum proximum & formale dicunt esse, *Omnes Operationes Intellectûs*, non *Tertiam* tantum (quia omnes qua dirigibiles per Logicæ actus attinguntur) ita ejusdem Subjectum statuunt, *Notiones secundas omnium Operationum*, non *Tertiæ* tantum. 3. Notionibus *Primæ* & *Secundæ* Operationis, ne quidem in absolutâ suâ consideratione, exclusis.

IV. Unitas Naturæ Universalis, cùm ejusmodi sit, ut per eam Natura reddatur *una communis*, nec erit *Unitas formalis*, quia hæc (cum sit Unitas formæ sive essentiæ) est nunc cum numericâ, nunc cum præcisionis unitate conjuncta; & proinde ad rationem Universalis non sufficit: nec erit *Unitas numerica*, quia hæc cum eâ pugnat: 2. Necessariò igitur erit *Unitas Præcisionis*, quam Unitatem consequitur *Communitas* illa (aptius *Multiplicabilitas*) quæ essentiam Universalis complet. 3. Hinc Natura ante operationem Intellectûs est quidem in *Multis*, & etiam *Pluribus communis*. 4. Non tamen ante mentis operam est Universalis.

V. Cum *non-repugnantia inexistendi pluribus* sit de essentiâ Universalis, Proprium *Universale* erit, non *Speciei*, sed *Individuorum* respectu. 2. At idem Universale *Proprium* erit, non *Individuorum*, sed *Speciei* respectu: Hæc enim (non Individua) est Subjectum illius primarium. 3. Cumque *Proprii* proprius prædicandi modus sit *reciprocè & necessariò prædicari*, ipsum neque communicari poterit, neque à Subjecto sine contradictione separari.

VI. Quantitatis ratio formalis posita est in extensione, non solum suarum, sed etiam Subjecti partium. 2. Adeoque quantitas à Subjecto quidem distingui, sed nec ea sine Subjecto, nec Subjectum sine ipsâ poterit existere. 3. Ut nec unum ab alio penetrari. 4. Quantum respectu *Continui* & *Discreti* est Synonymum: at paronymos de suis inferioribus prædicatur. 5. Potestque ex Continua fieri Quantitas discreta. 6. Linea, Superficies & Corpus sunt veræ & distinctæ species Quantitatis continuæ. 7. Nec repugnat Lineam & Superficiem esse etiam Entia incompleta. 8. Numerus est & Ens reale, & unum per se. 9. Cum *Aristotele* tamen agnoscimus eum ab Intellectu pendere.

VII. Syllogismi pro tribus Figuris divisio adæquata est, sed non immediata. 2 Earum diversitas ex diversâ nascitur Terminorum dispositione. 3. Quemadmodum & Modorum in iis singulis varietas, ex dispositione variâ Propositionum secundum quantitatem & qualitatem. 4. Quia vero τῷ συλλογιζομένῳ nefas est progredi ordine contrario ordini naturali, quem præscribunt duo illa Regulativa omnium Syllogismorum Principia & radices, *Quarta* illa monstrosa dispositio, quam volunt statuere Figuram à reliquis distinctam, omnem Medii naturam, & omnem prædicandi ordinem pervertit. 5. Estque merum vigilantis *Galeni* insomnium: cujus vera facies multò ante eum *Aristoteli* perspecta, & in Modis, non quidem prorsus & directè, sed indirectè tantum inutilibus notata fuit: transpositis enim Propositionibus Conclusionem necessariò quidem, sed indirectam infert: Transpositio vero Terminorum non Figuram, sed Modum tantum variat; at in primâ Figurâ, ne Modum quidem variat. 6. Vel, si magis arridet sententia *Molinæi*, negat ille Conclusionem sequi ex Propositionibus ob vim Quartæ illius dispositionis, sed ob virtutem Tertiæ Figuræ in talibus Syllogismis implicitè contentam: nam Syllogismus ejusmodi (inquit) etiam negativus: *v. g. Nullus homo est lapis*; *Omnis lapis est corpus*; E. *Aliquod corpus non est homo*. Conversâ tantum Majore est Tertiæ Figuræ in *Felapton*. 7. Et nullibi magis quam in prioribus Analyticis, non sui solùm, sed & humani Ingenii mensuram & amplitudinem demonstravit *Aristoteles*, innumeros illos Intellectûs inter *Inveniendum*, *disponendum* & *judicandum* motus, actiones & agitationes, strophas & antistrophas, singulorum motuum meandros, errores & ambages; errorumque castigationes, & medelas observando, digerendo, & ad Posteros, magno in universum Humanum genus beneficio, propagando.

VIII. Δι ἀυτὸ ἄρα δεῖ, ϗ τὸ μέσον τῷ τρίτῳ, ϗ τὸ πρῶτον τῷ μέσῳ ὑπάρχειν: *Aristoteles* ultimis verbis cap. 6. lib. 1. Poster. 2. Malè igitur negavit *Zabarella*, Minorem esse in ullo modo *Per se*. 3. Iniquius alii, vel Conclusionem, vel Minorem habere *Perseitatem* prædicandi. 4. Omnium absurdissimè illi, qui Conclusionem concedentes esse *Per se*, Minorem tamen esse *Per se* negant. Hoc enim planè est impossibile.

THESES ETHICÆ.

OBjectum, circa quod moderandum versatur Virtus, sunt *Perturbationes*. 2. Hæ in Intellectu, nullæ. 3. In Voluntate, nisi impropriè dictæ, non dantur. 4. Ut nec in Angelis. 5. Nec in Animâ separatâ. 6. Ab iis maximè abhorret Natura DEI Opt. Gloriosissimi; Et tamen ἀνθρωποπαθῶς tribuuntur. 7. Voluptas & Dolor non sunt Perturbationes. 8. Sine repugnantiâ dixeris, has nec esse bonas, nec malas. 9. Longè differunt hæ, *Homo suâ naturâ habet Affectiones pravas*, & *ipsæ Affectiones sunt pravæ*. 10. Concupiscentia, & contra Pontificios, est; & contra Stoicos, non est malum. 11. Perturbationum numerus & distinctio nimiâ incertitudine laborat. 12. In utroque minus peccat *Thomas*, parti Concupiscibili tribuens quatuor, *Gaudium*, *Tristitiam*; *Cupiditatem*, *Fugam*: (è quibus contrariæ circa contraria versantur Objecta) Irascibili, quinque; *Spem*, *Desperationem*; *Timorem*, *Audaciam*; denique *Iram*, cui soli nulla contrariè opponitur: in reliquis his quatuor est oppositio, propter accessum & recessum ab eodem Objecto. 13. Cum eodem *Thoma* existimamus, posse utrumque appetitum versari circa idem Objectum; ratione tamen diversâ.

THESES PHYSICÆ.

MAteria, quæ est unum è tribus Corporis naturalis Principiis, est *Materia ex quâ permanens*, & *prima*, quatenus consideratur omni formâ nudata cum Privatione tantum universali. 2. Datur talis. 3. Et eâ nullum datur Subjectum prius. 4. Neque potest ipsa in aliam Materiam resolvi. 5. Eademque per dispositiones quasdam ad certam Formam præparata, dicitur etiam *Materia secunda*. 6. Habet Materia hæc naturam suam absolutam, cui supervenit Principii relatio, in quâ relatione necesse fuit *Aristoteli* eam in *Acroamaticis* definire. 7. Et licet ex omnium confessione sit in pura potentia, habet tamen suum actum entitativum *Essentiæ* & *Existentiæ*. 8. Eumque non à Forma, à qua realiter distinguitur. 9. Adeoque non planè omnis distinctio & actus est per Formam. 10. Forma autem *Corporeitatis* merum est figmentum. 11. Imo quia ipsam oportebat esse omnium Formarum receptaculum, necessarium quoq; fuit eam esse omnium Formarum expertem: quemadmodum & principalem Sensus cujusvis externi partem (cui Facultas ipsa primariò insidet) ut delatas omnium propriorum Objectorum species ad superiores Facultates transmitteret incorruptas, nullius planè Objecti specie insitâ contaminari. 12. Et licet nunquam sine Forma actu existat, non tamen repugnantiam includit, posse eam ab omni Forma separari, & sine omni conservari. 13. Nec enim à Formâ dependet secundùm naturam suam absolutam, sed secundùm respectivam tantùm. 14. Cum ex adverso Forma, saltem materialis, secundùm suam entitatem & *Esse* absolutum dependeat à Materiâ; licet non ab eâ dependeat in *Esse* respectivo, sive in ratione causandi.

II. Motus realiter distinguitur à Termino *ad quem*; per eum specificatur; ab eo pendet principaliter, & ad eum ordinem habet specialem & proprium; licet non ab eo solo pendeat, sed etiam à Medio, *In quo*; & à Modo, *quo fit*. 2. Specie tamen differunt Motus Aeris *Sursum* per Aquam, & *Deorsum* per Ignem. 3. Motûs numero unius unum est *Subjectum*; *Terminus* unus; *Tempus* unum, & continuum. 4. Motus tamen unus & continuus est, quo deorsum fertur *Canis* è sublimi præcipitatus, & in medio spatio extinctus: utcunque Mobile sit *Canis* & *Cadaver*.

III. Cum soli Causæ Univocæ conveniat, efficere sibi simile secundum speciem; Æquivocæ verò sufficiat, si producat simile secundum Virtutem; Cœlum vires suas, licet non illo, hoc saltem modo & fine, in Inferiora hæc diffundit: si non immediatè, at vehiculo & interventu eorum, quæ inter ipsum & inferiora hæc disposita sunt. 2. Neque aut necesse est, omne *Animatum* esse quolibet *Inanimato* nobilius. 3. Aut probabile, hoc influxu produci Animalia perfecta. 4 Aut eodem, in inferioribus tàm contingentiam præpediri, quàm effecta variari. 5. Mineralium in abditissimis Terræ cavernis nullâ omninò Corporum cœlestium luce illustratis Generatio influxum hunc non per solam Lucem peragi demonstrat: per quas verò alias causas operentur, λίαν μέγα τὸ αἴτημα ἐστί. 6. Et, si aliquando non profana sit, certè semper incerta & fallax est, omnis ex Motuum & Corporum cœlestium cognitione de rebus ab Humano arbitrio pendentibus conjectura: ferè semper etiam in iis, in quibus maximam certitudinem sibi arrogat audax & impia hæc curiositas.

THESES METAPHYSICÆ.

CAusalitas in omnibus Causarum generibus eadem non est: ne quidem, ubi ex ipsis Causis plures coincidunt. 2 In Materia & Forma probabile est esse eandem, *viz.* eandem Unionem, quæ tamen rectius videtur poni in Forma. 3. Nec repugnat eandem rem, respectu ejusdem esse Causam in diverso genere: sic Forma respectu Materiæ habet rationem Causæ & *Formalis*, & *Finalis*.

II. Materia, Formæ informationem recipiendo, ipsam Formam secundum entitatem sustentando; Compositum constituit; estque ejus Causa in *Fieri* & in *Facto esse*. 2. Adæquatum ergo Materiæ effectum est *Compositum*. 3. Frustra Generationem & Formam tanquam alia ejus Effecta distinguunt. 4. Et Formæ cum Materia *Unio* non est à Generatione diversa. 5. Materiæ igitur *Unum* est Effectum adæquatum. 6. Et quæcunque per inadæquatos Conceptus distinguit hîc Intellectus, non statim diversa statuenda sunt Effecta.

THESES ASTRONOMICÆ.

SOl nullâ sui revolutione perfectum facit Circulum, sed semper helicen, sive spiram. 2. Ergo neque per Æquinoctialem transiens Diem facit Nocti præcisè æqualem. 3. Ne quidem habentibus Sphæram rectam, nedum obliquam. 4. Ergo tum temporis (quod bis in Anno contingit) ipse habitantibus sub Polis non est præcisè toto 24. horarum spatio in eorum Horizonte. 5. Æquinoctialem igitur rectè in Cœlo imaginantur, & in Globis describunt, ut Circulum ductum ab eo Puncto, in quo Sol existit maxime medius inter ipsos Mundi Polos, ad idem Punctum: In hoc autem Puncto Sol, neque accedens, neque recedens, vel ad Momentum quidem moratur; illudque ob motûs sui velocitatem non citius attingit, quam statim deserit, nobis, à latitudine Australi ascendens ad Borealem, & in reditu à Boreali devergens iterum ad Australem. 6. Dies autem, quo Sol nobis incipit redire à Signis Australibus (sc: die Æquinoctii nostri verni, quo punctum illud in ipso Meridie attingit) sicut Noctem præcedentem, paulo longiorem; ita subsequentem habet paulo breviorem: Contrà, nos relinquens Noctem præcedentem habet tanto breviorem, quanto subsequentem habet longiorem. 7. Isti tamen Diei artificiali præcisè æquantur, duæ istarum Noctium partes: Si scilicet supponatur præcedentis Noctis parti posteriori adjungi subsequentis pars prior. 8. At Dies artificialis subsequens Diem Æquinoctii verni præcisè æqualis est Diei Æquinoctium Autumnale præcedenti. 9. Estque, vice versâ, planè par ratio Diei, quo Sol à nobis ultra Æquinoctialem discedit, & Dierum eum præcedentis ac subsequentis. 10. Hinc falsitatis manifestò redargui videtur Minor Argumenti illius, quo nititur Heterodogma illud receptum (ea enim subsumit, *Diebus sc. Æquinoctiorum arcus nocturnos esse æquales diurnis*) nisi cum grano intelligatur.

II. Licet *Copernicanâ* Motûs Terrestris Hypothesi Phænomenis omnibus (quod certe non credimus) pulchrè satisfieret; ipse tamen vel effossâ ipsius *Pythagoræ* (quem in hoc Commento sequebatur) urnâ, nunquam potis erit afferre rationem, cur aut omnino Terræ Globo tribueretur Motus: aut, hic poneretur Triplex: aut, cur è tribus duo essent Circulares; tertius verò, *Librationis*, designaretur Æquinoctiorum inæqualitati, & Eclipticæ ab Æquinoctiali obliquitati corrigendæ. 2. Hypothesin illam (ni fallimur) subruit trita illâ Thesis, non tantum Sacræ Paginæ authoritate firma & invicta, sed & omnium sobriè & sine vertigine Philosophantium calculis comprobata, *Mundi Centrum esse Terram*, ut firmiter Diagrammate monstratum iri speramus.

EDINBURGI, Excudebat ANDREAS ANDERSON, Civitatis, & Academiæ Edinensis Typographus. *Anno Dom.* MDCLXIV.